



S E P I A.



excoquantur. Quamquam Athenaeus Sepias aqua elixas ventriculo utiles existimaverit, dixeritq; eas sanguinem attenuare, atq; haemorrhoides curare. Caterum (ut Galenus placet lib. 3. de alimentorum facultatibus) dura sunt carnis, aegre conficiuntur, & succi crudi plurimum gignunt. Attamen iis quibus probe concoquantur, non parum corpori praebent alimentum. Quin & ejus testa exusta (ut libro II. simplicium medicamentorum, idem scriptum reliquit) ad vitiliginem,

Sepiarum
facultas.

LOLIGO SIVE CALAMARO.



lentes, & scabiem usum utilem praestat: mista praeterea fossili sale, in oculis existentes ungues eliquat, & antequam uratur frictione dentibus splendorem affert, & illitione ulcera desiccant. Sepia ova in cibis sumpta urinam curare Plinius commemorat, renumq; lentorem dissolvere. Sepius, nucibus & allio paratis quidam vescuntur, ut salaciores in venerem prorum-
50 pant. Quae Lynceus Graecis: Sepia item Latinis & Italis appellatur: Arabibus Sarathan & Sarthan: Germanis Blackfisch: Nominibus Hispanis Siba: Gallis Seche.

Τεφύλα.

MULLUS PISCIS.

CAP. XXI.


Mullorum assiduo cibo aciem oculorum hebetari constat. Is marini draconis, aranei ac scorpionis moribus medetur, si crudus atque dissectus admoveatur.

60 Mullus piscis Latinis olim sic dictus, relicta mulli appellatione, hodie Graecorum more Latine etiam Trigla, & Italicè Mulli cō-
Trigilia nominatur. Duo ejus habentur genera (ut diligenter observavit Salvianus) colore & magnitudine differ-
rentia. Major qui pedali longitudine saepe visitur, rubro vestitur colore, aureis lineis a capite ad caudam ductis. Minor
purpureus est, maculis quibusdam flavis, liventibusq; apparentibus, nec palmarem longitudinem excedit. *Ambo barbati
sunt, ideoq; a Venetis appellantur Barboni. Antiquis is magno expetebatur pretio, praecipue ganeonibus: cum ex fide
dignus constet monumentis, Mullos saepenumero a privatis etiam hominibus argenti librā singulos vanisse, tanta cum eo-
rum jecore, & capite gratia intercesserat gula. Quamobrem Galenus lib. 3. de alimentorum facultatibus de eo haec me-
moriam prodidit. Mulli jecur a gulosis mirabilem in modum voluptatis nomine commendatur. Quidam vero ipsum ne per
se quidem solum edendum censent, sed garelao, quod vocant, in vase preparato, cum pauxillo vini viscus in eo tantisper
disterunt, dum ex universa ejus substantia, & preparato liquamine unus ac similis succus, quantum sensu posui juu-
tare, factus esse videatur, in quo intincta mulli carne vescuntur. At mihi profecto nequaquam tanta suavitatis visum est,

Mulli fa-
cultas ex
Gal.

ut eum honorem mereatur, neq, tam insignem corpori utilitatem conferre, ut nec ipsum caput: quoniam hoc quoq, laudant ganeones, ac secundas post se cur ferre pradicant. Caterum intelligere nequeo, cur permulti grandissimos mullos emperitent, cum nec adeo suavi sint carne, ut minores: nec concoctu facili, ut quæ dura admodum est. Itaq, cum aliquando

MULLUS PISCIS.



quendam ingenti pecunia prægrandes Mullos ementem interrogarem, cuius rei gratia illos tantopere expeteret, respondit se primum propter hepar illos tanti emisse: tum autem & propter caput. Idem loco citato, circa capitis initium ita scribit. Mullus omnium ferè aliorum durissimam habet carnem, impendiq, friabilem: quod perinde, ac si dicas, nihil in eo esse lentoris neq, pinguedinis. Ea q, ex parte cunctis aliis præstantius nutrit, dummodo probe concoquatur: hæcenus Galenus. Mulli, auctore Plinio, ter anno sætificant, tantaq, iis ingluviæ, ut etiam hominum cadaveribus vescantur. Si ceteris in cibis præstant, qui inferiori labro utring, barbati habentur. Romani, Neapolitani & Veneti longè præstant. Vini, inquit Athenæus, in quo Mullus vivus immergitur, haustum venerem viris mirum in modum inbibet: feminis verò conceptum. Piscis ῥέγυλα Græci, Mullus Latinus vocatur: Italis Triglia & Barbone: Hispanis Salmoneta.

Nomina.

ῥέγυλα.

HIPPOPOTAMUS.

CAP. XXII.

Meum
& Catec.
addunt
bis. i.
cum vi-
no.

Hippopotami testes exiccati ac triti, a contra serpentium morsus bibuntur.

HIPPOPOTAMUS.



Hippo-
potami
historia.

Hippopotamus est (ut Plinius narrat libro 8. cap. 25. & 26.) belua, quæ in Nilo editur, crocodilo altitudine major: 60
ungulis bifidis, quales bubus: dorso equi, & juba & hinnitu: rostro refimo, cauda torta, & dentibus aprorum
aduncis, sed minus noxiis: tergoris ad scuta, galeasq, impenetrabilis, præterquam si humore mædeat. At Aristoteles libr.
2. de historia animalium, cap. 7. à quo Plinius transcripsisse videtur, de fluviali equo ita scriptum reliquit: Os qui-
busdam animalibus rescissum, ut cani, leoni, deniq, omnibus, quibus dentes serrati, aliis parvum, ut homini, aliis me-
diocre, ut generi suum, equo fluviali, quem gignit Aegyptus, juba equi, ungula qualis bubus, rostrum refimum. Talus
etiam inest bisulcorum modo, dentes exerti, sed leniter, cauda apri, vox equi, magnitudo asini. Tergoris crassitudo tanta,
ut ex eo venabula faciant Interiora omnia equi, & asini similia: hæc ille. Caterum (si Pausania credimus) Hippopotamus
dentes in inferiori maxilla, ut aper exertos habet, eosq, adeo conspicuos ac grandes, ut in Arcadicis scribat in apud Pro-
conne-

Paula-
nias.

connesios matris Dindymena simulachrum aureum extitisse, cuius facies, eboris vice è dentibus Hippopotamorum erat conformata. Sed longe admodum distare videtur ab Hippopotami historia animal, cuius hic imaginem damus, quanguam illud pro Hippopotamo primus Bellonius pinxit, & deinde eum sequutus Gesnerus. Siquidem hinc bouum modo pedes bisulci non sunt, nec talus bisulcorum similis, sed canum, luporumve similes, multisidi, unguibus in digitorum extremitatibus emergentibus. Os non mediocre illi esse videtur, cum Bellonio crocodilum in ore habeat. Dentes nulli visuntur exerti a prorum modo: iuba illi nulla, nullaq; equi aut asini facies: cauda elephanti potius quam apri è posterioribus pendet: aures habet ursinas, & rostrum porcinum, quod etsi resimul sit, absurdum tamen fuerit affirmare hoc animal hac tantum nota esse Hippopotamum: nam potius toto corpore, praterquam pedibus, porcum referre videtur. Nec me à mea deducit sententia statua illa lapidea Nili, qua Roma habetur, prope quam tale animal, quale hic pinximus, stare videtur, ore crocodilo appresso atq; sublato: siquidem cum id nullis notis equum fluviatilem referat, de quo Aristoteles, Plinius & ceteri antiqui scriptores meminere, mihi persuadere non possum, ibi hoc animal Hippopotamum representare. Et praesertim cum nusquam legerim, Hippopotamum crocodilos venari, & eos dentibus mordicus retinere. Sed Bellonium potius miror, quippe qui scribat, se vidisse Constantinopoli Hippopotamum huic similem, qui absq; humore tribus annis in sicco vixerat, vivebatq; adhuc: cum scribat Aristoteles lib. octavo cap. secundo de historia animalium, quadam esse animalia, ut sunt, qua marina testudines appellantur, Crocodili & equi fluviatiles, qua vivere quidem disclusa ab aqua natura non valeant, id quod ipsa natura ratio & experientia comprobant: quare dixerim ego, potius errasse Bellonium, quam Aristotelem. Itaq; Bellonium hac in re vel cecutisse crediderim, aut longe plura, majorave narrasse, quam ipse viderit unquam. Quod autem ita sit, testantur quaedam antiquissima Romanorum numismata, qua suis cum Hippopotamis ad vivum delineatis jam ante excusa, [hic tamen omissa sunt], Iope & auxilio Jacobi à Strada Mantuani, Casarii Ferdinandi & Maximiliani antiquitatum praefecti, qui ex suo promptuario illa numismata ut appingerentur concessit. Hippopotamus olim non solum Nilo flumine alebatur, sed Bamborbo quoq; juxta Atlantem Africa & Indo India flumine, ut Strabo & Julius Solinus narrant. Nusquam veri Hippopotami reperiuntur, inquit Ammianus Marcellinus, ut conjectantes regionum incolae dicunt, insectantis multitudinis radio ad Blemmas migrasse compulsi. Segetes Hippopotamus astu magno depascitur destinatione ante determinatas in diem: nempe ex agro ferentibus vestigiis, ne qua revertenti insidia comparentur. Primus cum vivum & quinque crocodilos, Roma adilitatis sua ludis M. Scaurus temporario euripo ostendit. Hippopotamus in quadam medendi parte etiam magister existit. Aspidum namq; satietate obesus exit in litus, recentes barundinum casuras perspeculatus, atq; ubi acutissimum videri slipitem, imprimens corpus venam quandam in crure vulnerat: atq; ita profluvio sanguinis morbidum alias corpus exonerat, & plagam limotus obducit. Hujus corii cinis cum aqua illitus panos sanat. Adeps frigidas febres: item sinu suffocato. Dentes è parte leva dolores dentium, scarificatis gingivis. Pellis ejus è sinistra parte frontis in inguina adalligata, venarum inhibet. Ejusdem cinis alopecias explet. Quod Dioscorides Hippopotami testes contra serpentium morsus propinat è Nicandri Theriacis, ut alia quam plurima desumpsisse videtur, ubi hunc segetum Aegyptiarum depopulatorem nobis describit his versibus.

Hippo-
potamus
Bellonii
& Ges-
neri.

Bellonijs
arguitur.

Hippo-
potamus
ubi ala-
tur.

Hippo-
potami
vires.

ἵππο, τὸν νεῖλον ὑπὲρ σάιναι βαλόντα
Βόσκει ἀρρέστην δὲ νάην ὑπὸ χιτῶν ἀρτήν.
Ὅτε καὶ ἐν ποταμοῖς λιπὼν ἴκλον εἰλυόντα,
Χιλὸς ὅτε χλοῶσαι νέον δ' ἀπὸ χιτῶν πῆν
Τόσον ἐπὶ γέβων λείπει θυβὸν ἰοσάτιον περ
Εὐνέμεται γυνίοντι παλλογυτον ὄχμον ἐλαύνων.

Belua, qua ἵπποπόταμος Græcis, Hippopotamus item Latinis, & fluviatilis equus appellatur: Italis Hippopotamo.

Nomina.

Κάστωρ.

FIBER.

CAP. XXIII.

Fiber ancipitis vitæ animal, plerumque cum piscibus & cancriis ex aqua victum capeffit. Hujus testes serpentium venenis adversantur, sternutamenta movent, & in universum varios obrinent usus. Si-

CASTOREUM SIVE FIBER.



Z 2

quidem

quidem menses ac partus ciunt, duabus drachmis cum pulegio poti: partus secundasque ejiciunt: contra inflationes, tormina, singultus, venena, ixiāque ex aceto bibuntur: lethargicos & utcunque vetero obdormiscentes excitant infusi: cum aceto autem & rosaceo olfactu & odoris suffitu, idem faciunt: poti & illiti profunt tremulis, convulsis & omnibus nervorum vitiis. In summa calfactoriam vim habent. Eligi debent testes, qui ex uno ortu connexi sunt (fieri enim non potest, ut gemini folliculi in una membrana conjuncti reperiantur) liquore intus veluti ceroso, odore gravi, & virus redolente, gustu acri, mordente ac friabili, naturalibus tunicis circumdato. Quem fraude aliqui corrumpunt, conjicientes in follem gummi aut ammoniacum cum sanguine & castorio subactum, & ita exiccantes. Vanum est, quod traditur, testes ab ipsis evelli, & a sese abjici, cum venatu urgentur: siquidem tangi nequeunt, ita, ut in sue, substricti. Operæ autem pretium est, divisa pelle melleum liquorem cum evectiente tunica allumere & siccatum † potui dare.

Fibri hior.

Quemadmodum in superiore spectatur Germania, ubicumq, Rhenus influit, quin & in Austria, atq, Pannonia, ubi Danubius, in alijsq, finitimis provinciis, ubi Dravus & Savus discunt, Fiber sanē, quem Graci *νάγρεα* appellant, animal est (ut Dioscorides inquit) quod ex amphibio habetur genere: quippe quod & terris & aquis vitā ducat: ibi namq, videtur modò in fluminib. nat. are, modò in litore vagari, modò in propinquis sylvis spatari. Fiber intra se ferē faciem refert, major tamen. Caput huic est subrotundum, dentes & oculi murini, lingua suilla, leporināq, maxilla, rostrum retuso, minimè prominente, longis quibusdam setis barbato, quemadmodum & supercilia. Dentes anteriores, qui utrobq, bini spectantur, illi sunt, longi lati, incurvi, acuti & intus concavi, flavo colore: molares autem in utraq, parte octoni, sed inaequales & lima instar asperi, auriculae breves, subrotundae, parvae, pilosae. Priores pedes digitis quinq, conspicuis constant muris montani aut sciuri modo, firmis ungibus armati, non autem Simiae similes, ut scribit vir quidam clarus: posteriores verò anserinos emulantur, digitis pariter quinq, cartilagine nigra comprehensis. Caudam habet latam, superiori parte squamosam, altera verò sede levem & pilis, ut superior vacuam, qua una cum posterioribus pedibus ad natandum utitur. Fecur habet magnum, subnigrum, lobis quinq, dissectum, ubi quoq, fel haeret inter minores. Renes longè majores sunt, splen verò minor, quā requirat corporis moles, vesica suillam refert. Testes illi sunt parvi, substricti, & adhaerentes spinae, qui

adimi sine animalis vita non possunt. Id quod rectè apud Plinium animadvertit Sestius medicus. Idcirco manifesto fabulantur Solinus, Andromachus, Aelianus, Apulejus, Juvenalis, Cicero & Plinius, quippe qui scripserint, Castorem sibi testes dentibus amputare conspecto venatore: sed miror Plinium in hac falsa perstitisse sententia, cum legerit apud eundem Sestium (ut ipsemet scribit lib. 32. ca. 3.) id esse fabulosum & comprobāt ab eo errorem cerneret. Caterum cum Fibri testes sint manifestò spinae coherentes & gallorum Gallinaceorum testiculos non admodum magnitudine superent, castorea, quae medicamentis usurpamus, veri testes non sunt, sed folliculi quidā, qui tam in maribus, quā in feminis, utrinq, in inguinibus, statim sub cute ovorum gallinaceorum magnitudine, & saepe majores conspiciuntur. Meatum uterq, habet, cujus orificium extra corpus circa pubem perspicuum est, parumq, alterum ab altero distat, ex utroq, exudat fluitq, humor substantia oleosus, odore perquam gravi, quem animal lingua lambit, & deinde seipsum inungit. Liquorū, quo folliculi iidem referti sunt, in vivis adhuc animalibus fluidus est, olei modo: deinde exemplis folliculis, & aliquandū asservatus, mellis spissitudinem coloremq, contrahit. Postremò cera in modum concrevit, ubi in fumo suspenduntur folliculi. Quod autem hi tumores folliculive, testiculi non sint, ex hoc liquido constat, quod tam in maribus, quā in feminis habeantur, quodq, nullus in iis sit meatus in penem, qui inter illos tamen situs est, quin etiam ipsorum folliculorum magnitudo eos non esse te-

sticulos facile convincit. Postremò cum testiculi intus spinae coherentes conspiciantur, ipsiq, parvi, ut praediximus, nulla consentit ratio ut Castorea, testiculi esse possint. Nos ergo id primū à Rondeletio edocti, rei novitate excitati, Castores duos, marem alterum, alterum samina, a Serenif. Austria Archiduce Ferdinando nobis dono datos secumimus, una cum Claudio Richardo, Caesaris Ferdinandi Chirurgo, collegi nostris clarissimis, Andrea Blavio, Joanne Villebrochio, Georgio Handschio, & aliis nonnullis astantibus medicis, qui omnes non aliter rem se habere invenimus, quā ipse describat Rondeletius, cui sequuntur a posteritas hujusce secreti munus acceptum referre debet. Cum antiquitas universa & ad hac usq, tempora secuta atas, in hoc versata sit errore, ut crediderit castorea veros Fibrorum esse testiculos. Femina uno tantum meatu & parit & egerit & mingit, uteri & vesicae cervicibus illuc concurrentibus. Cauda una cum posterioribus pedibus estur, & quod gustu piscium carnes planè sapiat, iis etiam editur diebus, quibus nobis carne interdictum est à lege. Dentes Fibri anteriores (ut diximus) ferocissimi atq, acutissimi sunt, quibus arborum ramos, ut ferro, cadit, quos postea vitro coaptat artificio, sibiq, domum construit pluribus tabulatis in ripatum cavu, ubi juxta flumina degit. Animal est horrendi morsus: nam hominis parte comprehensa, non ante, quā fracta concrepucrint ossa, morsu resolvit. Caterum diligenter animadvertere oportet, ne ab impostoribus adulterata castorea emanat: namq, pauca admodum habentur ex iis, qua venalia Venetias importantur, quae quidem adulterio careant. Cujus manifestò est indicio nimia eorum magnitudo. Quinetiam praestantia indicium praeber conclusus liquor in recentibus mellis instar, in diutius verò asservatis, cera modo concretus. Adulterantur contritis ejusdem animalis renibus, factis inde testium folliculis. At mihi quidem sapius contingit & videre & habere ex Austria, Stiria & Carniola Castorea, quae omni prorsus adulterio vacant. Plinius lib. 32. cap. 3. eos Castoris testes efficacissimos putat, qui è Ponto afferuntur, id quod prius scripserat Strabo libro tertio sua Geographiae, his verbis.

Producit Capreas Hispania, equosq, sylvestres assatim. Quibusdam in locis lacus incrementa fuscipiunt. Cygni & ejus generis aves plurimae: similiter & orides aves. Fluvii quidem ferunt Castoras: sed Castoreum non eam, quā Ponticum, habet vim. Pontico enim proprium est, vim in medicamentis habere efficacissimam, ut in alijs permultis. Ideoq, male vertit Strabonis interpretes perquam dū venenosum, cum potius medicamentosum vertere debuisset, id est in medicamentis praestantius, ut alia permulta quae ibi proveniunt, cujusmodi est Absinthium, Phu, Acorum, Amomum & alia complura. Quod cum Damocratem non lateret, in Mithridatis antidoto Ponticum Castoreum addit. Horum meminit Galenus lib. 11. simp. med. sic inquit: Testiculos castoris nuncupant Castoreum, medicamentum & celebre, & multi usus, adeo ut Archigenes de Castorei usu totum conscripserit librum. Atq, ille sanè particulares ejus facultates exposuit, nos verò velut in alijs medicamentis fecimus, ita & in hoc quoq, generalem modò facultatem dicemus: ad quam si quis respiciat, ipse per se particulares invenire poterit. Itaq, quod excalfaciat, manifestum est: nam si voles ipsum ad unguem levigatum oleo maceratum parti cuiquam illinere & inficere, evidenter illam incallescere percipies. Porro calfacientia omnia, ubi contra substantiam

Castorei adulteratio.

Straboni & Plinio quod Castoreum efficacissimum.

Castorei vires ex Gal.

- Substantia quippiam digerunt, continuo etiam illam desiccant, nisi quid natura fuerit humidum, cum oleum & aqua, atque adventitiam qualitatem calidam, non facultatem assumpserit, sicut certe hac ipsa igni, & soli astricto admodum. Itaque cum Castorei consistentia quoque sit sicca, & calefaciendi potentiam habeat adjunctam, merito desiccant. Atque hoc illi cum multis aliis medicamentis commune existit. Porro quoniam impense subtilium est partium, ob id plus valet, quam alia, quae similiter ut ipsum & calfaciunt, & desiccant. Nam quae tenuium sunt partium medicamenta, in quae sunt crassarum plus sunt efficacia, etiam si parem sortita fuerint facultatem, nimirum quia penetrent, & in altum subeant ad motorum corporum, potissimum si ea densa fuerint, velut nervacea. Palam igitur talia ob causam positam magnifice iuvantur à castorio. Ceterum falluntur medicorum plerique, in usu Castorei, cum id modo considerant, partem quamprimum aut tremere, aut convelli, aut sensu motuque privatam, aut egre sentire: haud scientes id genus symptomata ad dissimiles sequi corporis affectus. At ut ab Hippocrate doctus, ex plenitudine pariter & inanitione convulsionem fieri, ubi quidem quae in nervis continentur praeter naturam, evacuare consilium est, ibi & bibendum exhibere, & foris cuti castorium impone. Ubi vero ex siccitate nimia obveniret convulsio, scito hoc medicamen illic esse adversissimum. Ad eundem modum, in qui pra plenitudine tremunt, utilissimum: adversissimum vero iis, quibus huiusmodi affectus accidit ab inanitione. Ad portionem modo dictorum affectuum, ubi singultus evenerit stomachi, perscrutator prius, inventoque illius affectu, ac discretio, siquidem à plenitudine ipsum egroti perpetiatur, ad castorii usum accedito: sin autem à siccitate, & evacuatione, aut acrimie humorum morbo proveniret, medicamen hoc fugito. Sanè si odori, gustuique, advertas animum, suspicaberis humano corpori adversissimam habere substantiam: tamen si in natura nihil efficere comperiatur eorum, quae talia facere assolent. Siquidem alia stomachum vitiant, alia ventrem, alia caput, alia aliam quamvis partem laedunt. At hoc medicamen si corpori humido applices ressecationem poscenti, si frigido excelsationem, si humido simul frigidoque, excelsationem pariter & ressecationem requirenti, magnam utique ostendit utilitatem: nec ullam parti cuiquam noxam imprimit, potissimum si febris vacet, aut non admodum calidam perpetiatur homo febrem, sed ut sic dicam tepidam, qualis accedit in cataphoris maxime, & lethargis. Ac multis sanè Castoreum exhibuimus una cum pipere albo, utrumque mensura cochlearii ex melicrato bibendum praebentes: nec quisquam ullam sensit noxam. Sed & mensibus retentis, ubi per venam, quae in talo est, modice evacuassent, oblato castorio una cum pulegio & calamintha, semper medicamen hoc expertus sum purgationem eiere, absque ut feminam laderet. Praeterea locos morantes ejicit, eaque omnia ex melicrato potum efficit. At quibus ita venter statu distenditur, ut egre curationem admittat, aut torminibus vexatur, atque singultu, idque ob frigidos, viscososque humores aut crassos, flatulentosque spiritus, eos ex oxycrato potum adjuvat. Quae porro iuvat in corpus intro sumptum, is prodest quoque cuti impositum cum sic yonio, aut veteri oleo. Quae vero ampliori caliditate indigent, is etiam per sese inficari debet. Juvat etiam, si quis suffitum ejus in prunis impositi inspiratione hauriat, maxime humidos: & frigidos affectus in pulmone, aut cerebro consistentes. Attamen lethargicos, & cataphoricos affectus, qui quidem adjunctam habent febrem, praestat non dictorum oleorum quopiam macerantes curare, sed potius ex rosaceo capiti colloque, imponere: hactenus de castoreo Galenus. Castoreum suffitum, fumo navibus admo, feminas uteri strangulatu collapsas revocat. Praestat idem, sufficit, & quidem valentius semiboli pondere cum eadem assessoria quantitate in catapotio devoratum. Citat quoque, atrium drachma pondere bibitum, & induratas educit feces, statumque sursum, deorsumque, pellit. Mirificum quoque est auxilium, ubi discrimen adfit, ne colica, aut uteri doloribus laborantes, tremore, contractione, convulsionemve afficiantur. Datur cum mulsis utiliter resolutis, & singultuentibus. Juvat & Ischiadicis potum drachma pondere, cum tribus opoponacis obolis. Non desunt superstitiosi, qui dicant anteriores dentes sanare regium morbum, si in poculo teneantur, è quo vinum biberit affectus. Ceterum, ut Plinius est autor libro 32. cap. 3. Castoreum sumptum comitialibus auxiliatur. Medetur & dentibus ex oleo in aurem infusum, à cuius parte doleant. Aurium doloribus melius, si cum meconio infundatur. Urina quoque, 40 Fibri resistit venenis, & ob id in antidota additur. Asservatur autem optime in sua vesica, ut aliqui existimant. Animal quod *ναύωφ* Graece, *Fiber* Latine dicitur: Arabicè *Inchiam* aligiden bedustier, Giendedeitar, seu Gendibideitar: Italicè *Castoreo*: Germanicè *Biber*: Hispanicè *Bivaro* & *Biverio*: Gallicè *Bieure*.

Convul-
sioni ex
plenitu-
dine pro-
dest Ca-
storeum.

Ad men-
les mo-
vandos.

Castorei
sufficit.

Castorei
vires ex
Plin.

Nomina

† Cum impressu hoc loco legatur *ωρίστω*, id est, potui dare: tamen in codice manuscripto, in quem Oribasius (ut aliàs diximus) Dioscoridum verba retulit, legitur *ἀνορίστω*, id est, reponere: Quae lectio ideo verior esse videtur, quod castoreum (teste Dioscoride) non solum potui detur, sed etiam infundatur, & suffiatur.

καλὸν ὑπερμετρίον.

MUSTELA VULGARIS

CAP. XXIII.

- 50 **M**ustela, quae in domibus nostris oberrat, ambusta exenteratur, & inveterata sale, in umbra siccat. Ea binis drachmis cum vino pota, adversus omnia serpentium venena praesentaneo est remedio: toxico, simili sumpta modo, resistit. Ejus ventriculus coriandro farctus, inveteratusque, percussis à serpente, & comitialibus potu auxiliatur. Cremata in fetili podagricis confert, cinere ex aceto illito. Sanguine peruncta strumae juvantur: comitialibus etiam prodest.

- M**ustela vulgaris notitia in Italia, animal est mirae sagacitatis, & quanquam corpore parvum, animo tamen invictissimo constat, atque feroci. Mustelarum duo genera esse auctor est Plinius lib. 29. cap. 4. Alterum sylvestre, quod in agris & vepribus vitam agit. Alterum domesticum, quod in domibus nostris oberrat. Utraque adeo cupide catulos suos diligunt, ut eos hinc aliud transferant, verentes, ne sibi in surripiantur. Quo factum est, quemadmodum memoria prodidit Aristoteles lib. 3. de generatione animalium, cap. 6. ut cum vidissent quidam, Mustelas catulos suos, quos parvos admodum parit, ore suscepto transferre, falso opinati sint, eas ore parere. Quorum opinionibus adspulatur Ovidius: cui tamen venia danda est, cum poetis qualibet audendi amplissima sit potestas. Non est similiter in eo audiendus Christophorus Encelius, vir alioquin eruditus, quod lib. 3. cap. 54. de fossilium natura, vulgi fortasse sententia additus magis quam Aristotelis & aliorum probatissimorum auctorum, sepias, loligines, locustas, & squillas ore coire ac parere, ridenda historia scriptum reliquerit: qui praeterea corvos & sylvestres gallinas ore concipere magno errore tradidit. Ceterum in mustelarum genere recensentur quae *Martes* appellantur, quarum duae in Italia habentur species. Una namque pilo vestitur fulvo nigricante, excepta gutturis parte, quae albicat: hanc nos vulgo dicimus *Faina*. Hoc animal oderunt rura, quod saepe domos illorum ingrediatur, ubi non modò gallinas, quas invenit, jugulat, sanguine plerumque exucto, sed etiam ova exhaurit & exorbet.

Mustelae
confide-
ratio.

Vana
quorun-
dam opi-
nio.

Martes &
earum
histor.

Z 3

quin

MUSTELA VULGARIS.

Zobellæ
histor.

Viverra.

Mustelæ
naturæ,
vis.

Nomina.

quin & in turres ascendit, atq; inibi columbas (modò eas comprehendere possit) earumq; pullos enecat. Altera sylvas incolit, raroq; illas deserit: hæc propriè Mars vocitatur. Differt ab illa, quòd corpore consistat aliquantulum longiore, gutture sit luteo, & pilo contegatur clariore tactuq; molliore, ut vel his nominibus ejus generis pelles, magnatibus expetantur, ad hyemales vestes suffulciendas. Sunt qui putent, postremam hanc duorum esse generum: alterum quidem, quod in fageis, quernis, ilignisq; sylvis versatur: alterum verò, quod in piceis & abiegnis tantum oberrat, pulchrius nimirum aspectu. Mustelarum quoq; generi adscribitur quod Germani ZOBELLAM, nos verò Zibellinū vocamus. Hæc corporis tum forma, tum magnitudine parum differt à martes, quamvis paulò minor sit. Totum corpus habet pilis fulvis vestitum, præterquam guttur, quod ex albo nigricat. Zobellis referta est Moscovia, & Litvania, atq; etiam iis abundant finitima aliæ regiones, à quibus eorum pelles ad nos convehuntur. Vaneunt magno pretio in locis etiam, ubi capiuntur: quo fit, ut venatores quandoq; ditissimi fiant. Porro & VIVERRA inter mustelas annumeratur. Ea autem animal est sciuri magnitudine, pilo subluteo, audax admodum, & animantibus ferè cunctis inimicum, præsertim cuniculis, quos sæpe gregatim suis ex antris pellit. Oblectatur sanguine mirum in modum, adeo ut sanguine potius, quàm carnibus victitet. Inveniuntur præterea (ut audio) in Germania, Polonia, & vicinis locis aliæ Mustelarum genera: quæ quoniam hæcenus ipse non vidi, neq; explorata sunt mihi, ideo quid de iis scribam, non habeo. Verum quod nunc in Bohemia vitam agam, equidem futurum spero favore atq; auxilio Sereniss. Ferdinandi, Archiducis Austria Principis, & domini mihi colendissimi ut non solum mihi liceat tractu temporis hæc & alia animalia videre & cognoscere, quæ in hac boreali plaga proveniunt sed & multa rara consequi, quæ ad rem tum herbariam, tum metallicam spectabunt. Mustela serpentes acriter persequuntur, dimicantq; devorata prius ruta. Basilisco mustela virus exitio esse auctor est Plinius libro 8. cap. 21. adeo natura nihil placuit esse sine pari. Injiciunt enim eas cavernis facillè cognitæ sola tæbe. Necant illi simul odore, moriunturq; & natura pugnam conficiunt. Mustela etiam oculis punctu eratis ajunt visum reverti, eademq; quæ in lacertis, & annulis faciunt. Mustela cujuslibet finis moschum nonnihil respicit. Is melle exceptus, addita lupinorum aut fenigraci farina, strumas, ceterosq; pituitosos tumores discutit. Mustelarum felle cum succo feniculi utuntur quidam ad oculorum argemas & nubeculas: quin etiam idem lentigines, & alia hujusmodi cutis vitia emaculare perhibent, si cum melle, & vitæ albæ radicis, aut ari farina illinatur. Nec desunt, qui putent Mustelarum pulmonem ad omnes pulmonis morbos efficacem esse. Mustelarum combustarum cinis aqua subactus illitu capitis dolores mulcet: oculis verò injectus suffusiones emendat. Hoc animal Tardus Græcis dicitur: Latinis Mustela: Italis Donnola.

Βάτραχος.

RANÆ.

CAP. XXV.

50

Contra omnium serpentium venena pro antidoto sunt Ranæ, si ex sale & oleo decoctæ edantur, jus quæ earum iridem sorbeat: contra inveteratos tendinum rigores pollent. Illitus earum cinis, profluens sanguinis impetus sistit: explendis alopeciarum inanitatibus ex liquida pice illinitur. Viridium ranarum cruor avullos genis pilos renasci prohibet, in vestigia evulsoforum instillatus: decoctæ in aceto, & aqua dentium dolores collutione leniunt.

Ranarū
consider.

Rubetæ.

Ranarū
partus.

Ranæ Italis, præsertimq; Insubria populis frequentissima. Genere sanè differunt, quemadmodum magnitudine, colore, & ac natura. Aliæ namq; ex putredine gignuntur æstivis imbribus pulvere madefacto, quibus sic ortis brevis est vita, nullusq; earum usus. Aliæ verò vitæ, & secundum naturæ ordinem, proveniant in mari, fluviis, paludibus, ac lacubus. Sunt & terrestres, quæ in frutetis, & rubetis plerumq; victitant, ob idq; rubetæ Latinis dicuntur. Nec desunt in hoc genere, quæ etiam Calamitæ dicantur, quod in arundinetis vitam agant: Verum utraq; & venenata, & lethales habentur. Ceterum illa in fluviis, paludibus, & lacubus versantur, & degunt, quarum nobis in cibum invaluit usus, colore viridi, aut subrutilo, cinereove, tametsi & inibi quandoq; ex his cernuntur, quæ non tunc edî possunt, ut pote quæ à rubetis non multum perniciæ distent. Pariunt Ranæ, ac Plinius tradit lib. 9. cap. 51. & experientia quotidie comprobari potest, minimas carnes nigras, quas gyrinos vocant, oculis tantum, & cauda insignes: mox pede figurantur, cauda findente se in posteriores. Mirumq; semestri vitæ resolvuntur in limum nullo cernente, & rursus vernis aquis renascuntur, quæ fuere nata, perinde occulta

RANÆ.



occulta ratione, cum omnibus annis id eveniat: hac Plinius. Cui tamen sententia prorsus refragatur experientia: quippe quod in paludibus maritimis, quæ glaciem nunquam hyeme contrahunt, quocumq; anni tempore ranas conspiciere liceat. Quapropter dicendum fuerit, Plinium eas tantum quorannis in limum resolvi existimasse, quæ ex ipsius aqua & terra putredine gignuntur. Carnem habent Rana albam, iis sanè utilem, qui hectica febre aut phthisi laborant, & præsertim Ranarū vis.

BUFO.



si de capi, aut gallina jure decoquantur. Unguentis adduntur, ubi siccare aut discutere sit opus. Decocta, quousq; distillant & fiant veluti unguentum, scabiem equorum sanant illita. Ranas decoctas contra serpentium venena antidotum esse pater, ex Nicandri Theriacis ubi sic habet.

ἡ γέννησις πανταχοῦ περὶ ἅλλα τέθηκε
Βάτραχοι δὲ χύτροισι παλαιοῦντες ἀείρουσι.

Βάτραχοι sic Græcè, Rana Latine vocantur: Arabicè Disdaha: Italicè Rana: Germanicè Grosch: Hispanicè Ranas: Nomina Gallicè Grenoville & Raine.

Σίλυρος.

SILURUS.

CAP. XXVI.

Silurus recens in cibo nutrit & facilem præbet alvum, sale verò conditus, minimum suppeditat alimentum: arteriam expurgat & vocem expedit. Illita saliti caro, aculeos & infixæ corpori spicula extrahit. Muria ejus incipientibus dysentericiis prodest, si in desidentium foras adjiciatur: fluxiones siquidem ad summa cutis elicit: ischiadicis infusa medetur.

Existimat Paulus Jovius in libello de Romanis piscibus, Silurum eum esse piscem, quem vulgus Sturionem appellat. Verumtamen si Aristoteli & Plinio est adhibenda fides, liquidò constabit, aliis piscis genus esse Silurum, aliud Sturionem. Namq; Aristoteles Siluro dentes assignat adeò firmos atq; acutos, ut iis hamos etiam ferreos frangere valeat. Plinius item lib. 9. cap. 15. tradidit, Silurum ubicumq; sit grassari, omneq; animal appetere: idcirco innatantes equos sape demergere, præcipuè in Rheno Germania amne prope Luboum & in Danubio. At Sturiones etsi prægrandes sint, edentuli Pauli Jo-
vii opi-
nio im-
probata.

penitus habentur. Ad hac Silurus Aristoteli & Plinio fluvialis semper describitur piscis, cum tamen Sturio frequentius in mari, quàm in fluminibus reperiatur. Quo factum est, ut facile deductus sim in sententiam clarissimi Manardi Ferrariensis: quippe quod pro certo crediderim, Silurum Italis haudquaquam esse cognitum. Quandoquidem inibi in fluminibus,

SILURUS SECUNDA EDITIONE.



quancquam ingentibus, nunquam (quod sciam) Silurus fuerit repertus. Pannoni Danubii accola Silurum vulgari sermone vocant Acchia: Rheni verò litora inhabitantes Germanica lingua Wolich appellant: siquidem is maxime grassatur, morsuq, petit omne animal, quod sibi obviam fit. Is effigie Gobium refert, capite magno, ore amplo, & dentibus ferocissimis. Hac in sententia me quoq, Plinius confirmat: is enim Silurum & in Rheno, & in Danubio nasci auctor est. Piscis qui *Σίλυρος* & *Γράκις*, Silurus Latinis appellatur: Arabibus Harbe: Italis Siluro: Germanis Wolich und Walich.

Nomina.
Siluri cō-
sideratio.
Theodo-
ri Gaze
error.

Mirum sanè est Theodorum Gazam, Græcum hominem atq, doctissimum, adeò Pliniana lectioni fuisse addictum, ut Plinij errores potius, in vertendo Theophrasti & Aristotele fuerit sequutus, quàm ipsorum Græcorum genuina cum plantarum, tum animalium nomina. Id quod in Siluro ab eo factum esse, quis facile cognoscet, qui Plinium cum Græco Glanides. Aristotelis codice contulerit. Siquidem id omne, quod de Glanide scripsit is, Plinius errore magno, suo tribuit Siluro: qua

SILURUS.



factum est ut Theodorus Glanidem in Aristotele Silurum verterit. Hac itaq, falsa interpretatio aliis errandi prae-
ansam, qui tantum Latinum Aristotelis codicem legerunt, ubi Glanidem Silurum vertit interpres. Id quod nobis quo-
que antea accidit, quippe qui Gaze ipsius interpretationem sequuti, illum & Plinii erratum non agnoscentes, Pauli Jovii
opinionem refutavimus, quod Sturionem nullis armatum dentibus sciremus, Silurum verò Plinio valde dentatum esse, &
rapina viventem, adeo ut is natantes in fluminibus equos sepe demergat. Verum cum posthac & Plinii & Gaze ipsius er-
rorem agnoscerem, non potui utrumq, non accusare, quod me quoq, in errorem vocaverint. Quare sit in presentia, ut
ego subscribam Salviano, qui Pauli Jovii opinionem firmis defendit argumentis, contra Rondeletii & Gesneri sententi-
am, quod hic Glanidem potius, quàm legitimum Silurum pingat: ille piscem quendam marinum potius, quàm fluviali-
lem, dentibus armatum, quem à Gesnero sibi missum scribit, quancquam id manifestò neget Gesnerus. Nec probo tamen
frivola Rondeletii argumenta, quæ contra Jovii & Salviani opinionem scribit, cum Salvianus ea omnino superaverit.
Scribant itaq, illi, quicquid volunt, ego quidem nunquam à Jovio & Salviano posthac dissentiam, nisi prius horum scri-
pta ubiq, ab eis confutata conspexero. Piscis qui Græcis *Σίλυρος* & *Γράκις*: Silurus Latinis appellatur, Arabibus Harbe: Italis Sturio-
ne: Germanis Stör oder Styrle: Gallis Esturgeon: Hispanis Saillo.

Ronde-
letii erra-
tum.

Σίλυρος

Σμαρίδες.

SMARIDES.

CAP. XXVII.

Smaridis piscis saliti caput exustum, a excrecentes ulcerum oras pulvillosque reprimat, nomas cohibet, thymos clavosque absumit. Caro b non secus atq; balsamentum prodest a scorpione percussis, aut a cane demorsis.

S M A R I D E S.



a Meum
ἐλκεν εἰς
λαίμαρτι
καὶ τῶν
i. viscerū
supercre-
scentem
carnem
cohibet.
b Meum
καὶ τῶν
πῶς τὰ
χρ. i.
veluti o-
mne sal-
samentū.

Μαῖνες.

MÆNÆ.

CAP. XXVIII.

Mænarum ex capitibus cinis, si illinatur, callosas fedis rimas abolet. Ejus etiam garum oris putrilagines collutione sedat.

M Æ N Æ.



Et si studii, ac diligentie plurimum impenderim, ut quinam piscis sit Smarid, certior fierem, nunquam tamen apud Aristotelem, nec Plinium, nec deniq; veterum quemquam aliquid certi nactus sum, ita ut plane Smaridem cognoscere, ac describere possem. Illud tantum inveni, iis Smaridem esse pisciculum, manis facie similem. Ex quo facile adductus sum, ut eos non longe aberrare putaverim, qui Smarides eos pisciculos dixerit, quos vulgo Veneti appellant Gioli: namq; hi præter id quod corpore minores sunt, manas notis omnibus representant. Ceterum cum Mana, quæ vulgò Menole dicuntur sint vulgaris notitiæ, non est, cur plura de eis differam.

60 Σμαρίδες ita Græcis, ut etiam Latinis Smarides nominantur: Arabibus, Absamaris: Italis Smaridi. Quæ verò Nomina? Græcè Μαῖνες, Latine: Mænæ dicuntur: Italicè Menole: Hispanicè, Pandelhas.

Γοβί.

GOBIUS.

CAP. XXIX.

Gobius recens in suillum ventrem conjectus, si confusa rima in duodecim aquæ sextariis donec duo superfint, decoquatur excolatus, & sub divo refrigeratus potui detur, alvus sine molestia deijcitur. Illitus contra serpentium, canumque morsus auxilio est.


GOBI-



10

20

GOBII ALIUD GENUS, SIVE PAGANELLO.



30

40


Gobio-
rum con-
sideratio.

Gobii in Venetis ichthyopoliis frequentissimi conspiciuntur, quod inibi in finitimis lacunis mirum in modum ferti-
cent, ac numerosi proveniant. Quare non immerito prodidit Aristoteles in marinis litoribus, ubi in profundum non
labatur aqua, summa cum voluptate morari Gobios. Hos Veneti detractis posterioribus syllabis Go vulgo vocant. Capite
sunt amplo, gustusque persuaves, quod carnem habeant tum pinguem, tum etiam friabilem. Proinde de his differens Gale-
nus libro 3. de alimentorum facultatibus, sic inquit: Gobius litoralis est piscis, ex eorum numero, qui parvi perpetuo ma-
nent. Præstantissimus autem ad voluptatem, coctionem simul ac distributionem, & succi bonitatem est is, qui in arenosis
litoribus, aut saxosis promontoriis vivit. At qui in fluminum ostiis, aut stagnis marinis versatur, non æquè sua-
vis est, neque probi succi, neque concoctu facilis. Ceterum sciendum est (ut etiam annotavit Galenus) Gobios non in ma-
ri tantum reperiri, verum etiam in fluminibus, & lacubus, quemadmodum testantur ii, qui in Lario lacu, itemque Ver-

Gobii
fluviali-
les.

50

GOBIUS III. ET IIII.



60

bano

hano capiuntur, laudatissimi quidem, propterea quod eorum jecur maximam cum palato ineat gratiam Nam tamen si
 hi pisces, qui Itali dicuntur Bottatrife, fluviatiles Gobii non sint, de quibus meminit Ausonius, sunt tamen omnibus
 suis partibus, pulpaq; adeo Gobii similes, ut mihi nihil verendum sit, quin recte in Gobiorum fluviatilium, lacustriumq;
 genere recenseri possint: quemadmodum & ii, qui in fluviiis universim minores existunt, quanquam ex his etiam nonnullos

Bottatrife.

GOBIUS V. & VI.



invenias, qui duas, aut tres uncias pendant. In agro Tridentino pauci admodum sunt fluvii, qui Gobios non alant: namq;
 & Arbesis & Nofius, & Lauisus, & Sacra in resertissimi sunt. Hos inibi quidam vulgo vocant Capitoni, quidam vero
 Marsoni: at in Hetruria, ubi tamen rarissimi habentur, corrupto a Gobii vocabulo, vulgo dicuntur Gbiozzi. Sunt

GOBIUS FLUVIATILIS.



hi pisciculi non modo concocti facillimi, sed & ori suavissimi, atq; gratissimi, praesertim cum ovis eurgent: hac enim in Gobii
 his & pinguis, & copiosa sunt, gustui vero suavissima. Quo fit, ut solertissimi piscatores horum futuras observantes, non
 minus expiscandis ovis operam navent, quam piscibus ipsis. Kubi & Graeci, Latinis similiter Gobius appellatur: Arabi- Nomina
 bu Kamen, Itali Gobio: Germanis Gorb: Hispanis Cadozes: Galli Gouiones.

Thunni.

THUNNUS.

CAP. XXX.

Conditanei thunni caro, quam omotarichon vocant, sumpta iis auxiliatur, quos vipera nomine praes-
 ter momorderit: sed oportet vinum quam plurimum subinde cogantur haurire, ita ut vomitione
 reddatur. Contra acrimonias esitatorum maxime valet: canum moribus utilissime illinitur.

Thunni pisces inter cetaceorum genera recensentur. In multitudine sua omnibus litoribus sunt noti, praesertimq; Tyr-
 rheni accolis magis, quam iis, qui Adriatici litora inhabitant. In Euripi maximaeorum est captura. Irrumpunt Ma-
 jo Mense, ac Junio in mare nostrum mediterraneum per Herculis columnas ab Atlantico oceano, cogentibus xiphiis, hoc
 est, spathi piscibus, qui ense a rostru prominente instructi, eos toto mari persequuntur: sunt enim xiphia immanes beluae.
 Nam (ut Plinius inquit libro 32 cap. 2.) mucronato rostro tam valide naves perfodiunt, ut in oceano mergantur, praes-
 sertim ad Mauritaniae locum, qui Cotta vocatur, non procul a Lixi flumine. Thunni igitur cum piscium simplicissimi
 timidissimiq; sint, non aliter in fugam a xiphiis gregatim aguntur, quam ovium greges a lupis: quam ob causam vel ina-
 nibus terriculamentis aeti, facile vadit atq; litoribus intrudunt. Porro summa spectantium voluptate Majo & Junio
 mensibus Thunni a Gaditanis non longe ab Herculeo freto capiuntur, ad quam piscationem universus concurrat populus,
 maximo clamore tympanorum sonu, ac bellis pulvere & igne concrepantibus terriculamentis. Hac enim eorum capturam
 faciliorem reddunt: quandoquidem stolidi cum sint, vocibus & strepitu terrii, concitantur ad vada, quo in loco postea gre-
 gatim retibus capiuntur, maximoq; omnium plausu trahuntur in litus. Thunni diversa sortiuntur nomina: namq; pri-
 mus thunnorum fetus ab ipso statim ovo Cordilla dicitur, qui mox in Limarias evadit: ex limariis autem adolescentibus
 Pelami-

Thunni
consider.

Xiphia
piscis.

Thunno-
rum ca-
ptura.



Thunorum
in cibis
facult.

Pelamides sunt, sic à luto dicta: cum verò ha pedalem excessere mensuram, in Thunnos abeunt. Athenaus hos diu vivere ait, & in prae grandes evadere pisces. Sed huic opinioni videtur adversari Aristoteles, cum asseveret, eos biennio vitam finire. Animal est parvum (ut scribit Plinius) scorpionis effigie. Hoc ardente Sirio sub pinna affigit aculeo, tantoq; infesta dolore ut in naves exiliant, quo tempore, ut maximè noxii damnantur in cibis. Caterum thunnorum ventres, quo in cibatu ori gratiores habentur, eò magis Ventriculo nocent: contra eorum carnes, quae omni prorsus pinguedine carent, etsi non tantam cum palato ineant gratiam, minorem tamen ventriculo inferunt noxam. Quanquam huiusmodi pisces, qui in cetaceorum genere recensentur (ut Galenus est auctor libro 3. de alimentorum facultatibus) dura carne sunt praediti: quam ob causam & pravi sunt succi, & excrementitium praebent alimentum. Quapropter sale macerata plerumq; eduntur, quod inde alimonia tenuior facta ex ipsis in corpus distribuatur: ob idq; sit coctioni, & sanguini faciendo accommodatior. Nam recens horum caro ni admodum probe concoquatur, magnam crudorum succorum copiam in venis congerit. Piscis, qui Gracis θυρῆ, Latinis item Thunnus vocatur: Arabibus, Kesam & Aliena: Italis Tonno: Hispanis Atuni. Gallis Thun.

Θύρῆ.

G A R U M.

C A P. XXXI.

Garum omne, quod ex piscibus, carnibusque sale maceratis liquamen est, si ex eo foras fiat depascentia ulcera fistit. Morbis à cane medetur: dysentericis, atque ischiadicis infunditur: nonnullis, ut exulcerata adurat: aliis autem ad lacessenda, quae ulcera non fenserunt.

Ζωὰς ἰχθύων.

J U S P I S C I U M.

C A P. XXXII.

Recentium piscium jus, modò per se, modò ex vino potum, alvum subducit, Privarim ad hunc usum conficitur è phycidibus, & scorpionibus, & julide, percis, & recentibus aliis saxatilibus, nec virus resipientibus, simpliciter cum aqua, oleo, & anetho.

Garicò-
siderat.

Garum dictum esse à veteribus tradidit Plinius lib. 31. cap. 7. quòd olim conficeretur ex pisce, quem Graci Garon vocabant, intestinis illius sale maceratis, ac eliquatis. Quod item postea è scombri exitu confici ceptum est. Fuit olim Garum complurium ciborum condimentum, adeò ut nullas fere liquor, qui ad gula luxum magis praeferret, ab antiquis fuerit excogitatus. Verum tamen de hoc non intellexit Dioscorides, sed generatim de omni piscium, & carnum muria, quae hac diutius asservari solent. Caterum de piscium juve non est cur pluribus agam, cum satis ab ipso auctore de eo proditum sit. Quod Graci γάρρῆ, Latini similiter Garum dicunt: Arabes Muri sive Almuri: Itali Garo: & Salamuoia. Quòd verò Gracis ζωὰς ἰχθύων, Latinis Jus piscium dicitur: Italis Brodo de pesci.

Nomina.

Κόπρις ὑδαρινῆς.

C I M I C E S L E C T U L A R I I.

C A P. XXXIII.

Cimices, qui in cubilibus enascuntur, cavis fabarum inclusi, si ante februm significationes septeni devorentur, quartanis auxilio sunt: & citra fabas sumpti, percussis ab aspide profunt: vulvarum exanimationes olfactu revocant. Poti cum vino aut aceto adherentes sanguifugas abigunt: triti & urinariae fistulae impositi, urinae angustias levant.

Cimicū
consider.

Inter omnes nocturnos hostes, qui nobis dulcem somni quietem intercipiunt, nulli quidem nocentiores, infestioresq; habentur, quàm Cimices: quippe qui non solum morsu dilacerent, quo & somnum inturbant, & sanguinem nobis addimunt, sed etiam fetorem adeò detestabilem, abominandumq; nobis ex se relinquunt, ut eo longe magis sensus, spiritusq; ladantur, quàm universa corporis partes, quae ab eis fuerint icta. Caterum tametsi infestissima, foetidissimaq; sint animalia: noluit tamen eos genuisse natura omnium rerum parens, quin suum haberent in medicina usum. Utuntur iis recentiores quidam ad ciendam urinam, vivis in penis organum immisis, non autem mortuis, & tritis, Dioscoridis modò. Quòd mihi magis consentaneum esse videtur: siquidem in meatum urinarium inditi, ingressu titillationem excitant, & urina vim expultricem prouocant. Sunt & sylvestres Cimices, qui ex herbis victum, & locum habent, lectulariis majores, colore viridi, aequè ac illi foetidi. Sed hi nullum, quod sciam, obtinent in medicina usum. Cimices ita Latini, κόπρις Gracis appellantur: Italis Cimici: Germanis Wanzen: Hispanis Chismes, Chimesas, & Paravelhos: Gallis Punaises.

Cimicū
vires.

Cimices
sylvestr.

Nomina.

ὄψις